

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

I C T E R O.



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,

DE

I C T E R O.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

DANIEL MILLS, A. B.

TRIN. COL. DUB.

HIBERNUS,

Soc. Med. Hib. Soc. Ext.

Soc. Hist. Dub.

Necnon

Soc. Spec. Edin.

Sod. Hon.

Phœbe, fave, novus ingreditur tua templa sacerdos.

TIBULL.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GULIELMI CREECH.

M DCC XCIII.

VIRO PRÆHONORABILI,

J O S E P H O,

COMITI DE MILLTOWN,

ETC. ETC. ETC.

BENEVOLENTIA, LIBERALITATE

SPECTABILI,

SCIENTIARUMQUE

FAUTORI,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

OBSERVANTIÆ SIGNUM,

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

ICTERO.

AUCTORE DANIELE MILLS.

NITIDUS, albus, roseusque cutis universae color pluribus modis deturpari solet ; nimirum vel praeter modum flavescit, vel virescit, vel nigrescit, vel pallescit, vel vario, et mixto quasi pigmento, inficitur.

Morbus de quo hìc pauca dicere institui, quippe quamplurima vetat hujusmodi dissertatio, diversis appellationibus antiquis cognitus fuit. Icterus nominatus vel ab *ικτερος*, avis lutea, vel ab *ικτις*, viverra. Morbus regius,

A _____ ex

ex eo, quòd hoc morbo Aulici * plerumque laborant; feu, quia antiqui regum † luxurias et voluptates ad eum sanandum idoneas crediderunt. Arquatus dicitur, quòd arcus celestis colorem refert. Aurigo etiam, ab auri colore. Modò quoque Bilis Suffusio. Operae est pretium fortasse notare, talem cuti impertiri posse colorem, similem nempe illi, quem bilis in sanguinem resorpta, ac per totum corporis diffusa, inferre consuevit; et neque innixum ulli hepatis vitio, aut ulli ductuum biliferorum labi, aut ullis calculis felleis. Depravata enim sanguinis commistio, vel feri aut lymphae ejus vitiata natura, citra hepatis bilifve culpam, universae cuti, salivae, atque aliis corporis succis alienum non rarò inducit colorem. Icterus propriè verò et strictius dictus, a claro CULLENO sic definitur. “Flavedo cutis et oculorum; faeces albae; urina obscure rubra, immixta colore luteo tingens *.”

De

* Pliny. † Celsus.

* Synops. Nosol. Method.

De hoc genere quinque ab eo recensentur species, scilicet,

1mo, “ Icterus (*calculosus*), cum dolore in
“ regione epigastrica acuto, post partum aucto,
“ et cum dejectione concretionum biliosarum.”

2do, “ Icterus (*spasmodicus*), sine dolore, post
“ morbos spasmodicos et pathemata mentis.”

3tio, “ Icterus (*hepaticus*), sine dolore, post
“ morbos hepatis.”

4to, “ Icterus (*gravidarum*), sub graviditate
“ oriens, et post partum abiens.”

5to, “ Icterus (*infantum*), in infantibus haud
“ diu post natales oriens.”

MORBI HISTORIA.

ÆTAS nulla, sexus, vel crasis, se nunquam esse amaritudinem ejus gustaturum jactare potest. Icterus enim, tam infantes, quam adultos et aetate proveciores, adoritur; praesertim tamen illos, qui vitam agunt segnem, et temperamento

temperamento (ut vocatur) bilioso, aut melancholico praediti sunt. Morbi initio, adsunt, languor, et totius corporis lassitudo, anorexia, nausea, oppressio circa praecordia sensus, et non rarò spiritus difficilior. Comitantur haec moestitiâ, et alvo saepè, sed minimè constanter, astricta. Paucos post dies, flavedo per totam superficiem diffunditur, speciatim apprensens partibus oculorum albis, adnatis dictis. Jamque faeces albae, tenacitatis insolitae, foetorem notae naturae vix ullum edentes, dejiciuntur. Turbida est urina, crocea, eodemque colore immixtum linteum inficit.

Inveterascente morbo, saliva, colore bilioso tincta, omnibus ferè in os receptis nonnunquam amaritudinem largitur. Adsunt quoque, corporis ferè totius ariditas et pruritus, calorque mordax nares angens, et non rarò fitis molesta. Stipatur saepe praeterea icterus, hypochondrii dextri, et ventriculi dolore, nonnunquam perviolento, et praecipue post pastum aucto; vomitu et frequenter singultu, pulsu frequentiore

frequentiore valido et duro, cumque aliis pyrexiae symptomatibus. Nec defunt arquatorum exempla *, quibus omnia flavo tincta colore videntur.

Perstante morbo diu, indiesque gravescente, indicia ejus mirum in modum augentur; flavedo cutis et oculorum magis magisque augetur, Icterum auctorum nigrum producens. Colore luteo corporis internae partes imbuuntur, nempe ossa †, periosteum, atque portio cerebri medullosa. Sanguis missus et jam concretus serum flavum ostendit, et secretiones praeter lac ‡ omnes eodem afficiuntur colore.

Hic morbus ullum haud fixum cursum servat, sed majore vel minore cum progressu, saepius mitescit, et Icteri signa postquam aliquamdiu manserint, sponte evanescunt, atque salus
pristina

* Hoffmann et Borellius.

† Van Swieten.

‡ Heberden.

pristina aegro restituitur. In aliis verò aliter fit; morbus enim gravis, aegrumque diu infestans, tandem de medio, viribus fractis, fortasse vix invitum, tollit, superveniente primum hydrope, nonnunquam apoplexiâ, vel etiam sanguinis fluxu.

CAUSÆ REMOTÆ.

INTER causas excitantes enumeranda sunt, quaecunque bili secretæ transitum liberum duodenum influenti denegant; vel quæ nimiam fellis copiam eliciunt.

Imo, Concretiones felleæ.—Ex cadaverum incisionibus, ex calculis cum faecibus dejectis, etiamque ex observationibus auctorum consentientibus, bilianas concretiones obstructionis (Icterus afferentis) frequentissimas esse causas perlucide probatur. Hi calculi fellei in ductu communi choledocho, et aliquando fortasse in hepatico

hepatico, incidentes, morbum regium gignunt. His enim locis positi fluxum fellis versus intestina impediunt. Cystico in ductu frequenter, et vesica in fellea creberrime inveniuntur; et quamdiu illic remanent, rarò, si unquam morbum excitant, nisi, caeteros ductus, vasta et defueta magnitudine comprimant, vel in ductum communem impingantur, ibique haereant. Nonnunquam plures sunt morbi causa, nonnunquam verò unica concretio. Hujusmodi concretiones, quamvis magnitudine formâque admodum diversae inter se, tamen quod earum ad internam structuram pertinet, aliquo modo sunt similes. Quoad tenacitatem, componi videntur ex materia sebacea, spermatis ceti simile, bilemve spissatam referentes, minimam vel nullam terrae includentes, ut tam facile, ac penitus, flammam concipientes. Ortus verò earum adhuc circumvolvitur umbrâ.

2do, *Hydatides*.—In abdominis visceribus, et praesertim in jecore haud rarò formati sunt hydatides.

hydatides. Quique, ductum biliarem opplendo, Icterum creaverunt *, et postea dejecti fuerunt cum stercore, morbo evanescente,—causâ obstructionis amota.

3tio, *Spasmus, vel ductus communis, vel duodeni ostium ejus circumcingentis.* Quidam hoc negaverunt, etiamque ductum habere tunicam musculosam, atque vim contractilem, stimulo admoto, manifestare. Spasmi fautores verò hanc contradicunt assertionem, et in lucem proferrunt, quod aliae corporis partes, ubi nullae fibrae musculares indagari possent, contractilitate praeditae sunt; (e. g. oculi iris, vel vascula seminalia). In hisce verò constat, quod talis affectio spastica occupare non potest spatium omnino non exiguum. Attamen verisimile est, ut Icterum gignere queat, quâ ductus choledochus intestinum ingreditur. Et quod ad hanc
opinionem

* Proff. celeb. Monro et Gregory in praelect.

opinionem inducit, considerando, quantum opium, fomenta et alia antispasmodica huic morbo profint. Spasmus intestinorum multorum comes est morborum, et patebit, talem affectionem duodeni, praecipue juxta ductus orificium, obviam iri posse bili descendenti. Notum est hinc, morbos spasmodicos aliquando comitari morbum regium*.

4to, *Schirrus*, vel tumores praeter naturam, jecinoris vel adsitaram vicinarumque partium ductus fel vehentes comprimentes.—Dubitat nemo, quin tumores jecinoris ipsius, pancreatis, ceterarumque partium ductibus biliferis proximarum, eos possunt, scilicet premendo, facile reddere impervios, et tunc necessariò sequitur Icterus. Multa ex visceribus abdominalibus schirrum subeant. Haud raro igitur schirro hepatis, pancreatis, vel tumefactis glandulis in capsula Glissonis sitis, laborantes, arquati evadun

B

Haud

* Sydenham. De Haen.

Haud indignum nobis notari videtur, quod a quibusdam medicis afferitur, nullum in Hippocratica arte exiguum tenentes locum, nempe Icterus causas agnoscere non solummodo, ea, quae motui versus intestina fellis obstant, quin etiam quae secretionem bilis impediunt, illam imminuendo vel interpellando. Haec vero nunc ab omnibus ferè universè conceditur; quia nunquam probatum fuit, bilem, semen, caeterosque humores secretos, sanguini ineffe, antequam actionem proprii visceris sui fecernentis subeunt; vel ulla fluida talia secreta, in corpore extitisse, cum viscus fecernens officio fungendi incapax redditum fuisset. Et praeterea mortua dissecando nobis exempla sese prodidere, ubi, jecur omnino morbosum, et omnis secretio obstructa fuit; Icterus vero se non ostendisse, quod fieri non posse, si hepar colum fuisset, ut illis videatur. Nonne ex supra dictis concludere nobis liceat, morbum regium hepatis schirrum excipientem, ex compressione vasorum fel vehementium pendere.

Ad hujusmodi generis causas, referendus est *Icterus Gravidarum*. Instante enim parturitione, abdomine tumefcente, foetuque in utero jam distento, minimam haud pressuram per viscera impertiente ductibus biliferis; necnon ex recti pressu, faeces plurimè ad inferiorem hepatis partem, et juxta ductum communem transiente in colo accumulatur. Si ergo talia fluxui bilis in duodenum obstant, liquet, gravidam saepe fore arquatam. At paulo post partum, deonoratis tum utero tum colo intestino, morbus regius spontè et citò evanescit.

5to, *Meconium et Bilis viscida*. Haud diu post natales, infantes aurigine saepè foedantur. Haec mihi videtur pendere, ex accumulatione meconii et mucii viscidi in duodeno, dum infans in utero quiescit, et etiam lento intestinorum motu peristaltico, horum evacuationem post natales retardante. Tali enim remorâ distenditur intestinum, et os ductus choledochi duodenum obliquè intrantis nonnunquam graviter

viter comprimitur, ita ut fel quo debeat fluere, nequeat, i. e. ingressus ejus in alimentarium canalem negatur vel prohibetur.

Bilis viscida.—Fel in propria diu sibi vesica interquiescens stagnat, et aliquando inspissatum invenitur; saepe verò tenax * et viscidum fit, ita, ut per ductum suum aegrè transeat. Si ergo hi grumuli bilis viscidioris ductibus diutius manserint, et cursui fellis liquidioris occurrerint, sequitur Icterus.

6to, *Ductuum omnium et praecipue communis tunicarum crassitudo, et cavitas eorum oblitterata, parietibus cohaerentibus.*—Docent anatomici ductus ipsos per morbum praegressum adeo crassos reditos esse, vel etiam offi similes, ut interdum ne vestigium quidem canalıs, per quem particula bilis minutissima transeat, inveniri posset. Et affirmat MORGAGNI Icteri causam, ductum communem ad capillarem angustiam redactum

* Van Swieten, & Coe.

redactum, aut instar chordae solidae coarctatum.

7mo, *Extranea duodeno infarta.*—Hujusmodi exemplum praeclarus MONRO demonstrat; nempe, plus tria millia grossularum acinorum in hoc situ reperta. Forsitan fas fit mihi hic mentionem facere, de morbo regio inducto ex usu magnae quantitatis gummi Arabici, et qui amotus fuit cathartico acri.

8vo, *Pathemata mentis.*—Haec dicuntur morbum excitare: et notum est, Icterum affectum esse animi perturbationem, quin, modo quo haec perturbatio operatur, non tam certum est; sed verisimilius fit, agere comitante potius conatu quam spasmō. Corporis enim totius tali concussione, calculus in vesica fellea latens, aut bilis viscida, impellitur in ductum choledochum, ita, ut bili transitus versus duodenum fluenti negatur. Attamen in hystericeis, quibus animi affectus tantos effectus manifestant, pendere fortasse

fortasse videatur a spasmo vel ductus communis, vel potius duodeni.

9no, *Vermes*.—Opinati sunt aliqui, quod lumbrici intestinales in choledochum dilatatum ingressi, morbum arquatam genuerunt; modo verò ex quo hicce ductus duodenum intrat, aliisque rebus mihi videtur vix credi.

Fellis quae copiam nimiam eliciunt, sunt, Emetica et Cathartica draffica. Rarò quidem, ut videtur, evenit, quod bilis copia in alimentario canale insolita Icterum creat, et hujusce absorptio; attamen pro causa aliquando habeatur; paucis igitur verbis perpendemus, quomodo hic fieri possit; et

1. *Emetica draffica*.—Maximus est consensus ventriculum inter et omnia abdominis viscera. Ergo propter convenientiam ventriculum inter et vascula hepatis fel fecernentia, vomitu permolestam nauseam sequente, bilis majore copia plerumque ejicitur. Bilis attamen tanta excre-

tio consensui attribuenda non est solo; etenim inter vomendum, muscularium fibrarum non modo ventriculi ipsius, quin etiam septi transversi, motus violenti, deorsum trahentes, propter magnam inspirationem ante vomitum factam; et insuper musculorum abdominalium contractiones, quibus viscera sursum coguntur, haud parum conferunt ad bilem ejiciendam. Eo pacto, ductus emulgentur biliferi, et bilis per intestina descendens, comistaque faecibus majore, quam solita quantitate, lymphaticis absorbetur et in sanguinem vehitur; ita ut fiat Icterus. Nihilominus emetica draastica morbum regium inferre possunt, viâ huic contrariâ, nempe, si concretiones in vesicula fellea, adhuc sine noxa lateant, has protrudendo in ductum communem, sic viam opplendo, intestinaque fellis proportionem idoneam spoliando.

2. *Cathartica draastica.*—Icterum haec dicuntur gignere, vel ex eo, quod justo majorem sanguinis quantitatem ad viscera abdominalia determinant, et sic bilis nimiam eliciunt copiam;

vel

vel sicut emetica, calculos in ductum choledochum propellunt.

Hic loci forsitan supervacaneum non erit notare, quam difficile sit, rationem reddere, quomodo emetica ac cathartica bilis absorptioni faveant. Nonnullis ascribitur, faecibus alvinis celeriter dejectis, simul multo comitante felle; et exempla habemus, flavedo ubi cutis diarhaeam biliosam interdum sequitur, ex febre flava Indiae Occidentalis, et morbo infantum apud nos *yellow gum* dicto.

Jamque enumeravi causas quas agnoscit Icterus;—haud verò indignum mihi videtur, hic loci animadvertere, quorundam opinionem, qui putaverunt morbum regium aliquando febres intermittentes Cinchona justo citius suppressas excipere. Quomodo tales effectus edere possit, perparvulum nobis est notum. Altera quoque auriginis causa quibusdam recensetur, et ut puto magis consentanea, nempe spirituum ardentium abusus, indeque Hydropem inter et Icterum magna est connexio.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

Ex historia supra tradita Icterus ab aliis morbis facilè dignoscitur. Attamen quidam sunt, quoad cutis colorem, illi similes; caeteris vero signis ab hisce tam longè diffidet, ut ab omnibus accurate distinguatur. Morbus Arquatus potissimum autem cognoscitur ex vario, cutis, oculorum, faecum, et urinae colore. Affectiones quibus confundi potest, sunt, Febris Flava Indiae occidentalis, Morfus Serpentum, et Chlorosis.—Icterus a flava febre Indiae occidentalis fecernitur; in hac enim, signum primum est pyrexia, oculi magis sunt rubri, adest plerumque diarhoea, fudor olidus: Praeterea, hac regione nunquam occurrit, et oritur ex aucta quantitate bilis * in intestinis. In illo verò, aucta bilis quantitas rarò evenit; adest cutis arida, alvus saepi-

C

us

* Sir John Pringle.

us astricta, oculi sunt mirificè flavi; et per totum decursum adest saepe pyrexia, et rarò, si unquam, in initio adest.

Flavedo exoriens morfu serpentum, dignoscitur:—Principio enim artus tantum, quo vulnus infligitur, flavescit, et ex parte affecta flavedo sese pedetentim diffundit. Alia verò signa Ictero propria, desunt. In hac praeterea plagâ, raro vel nunquam occurrit.

Chlorosin inter et morbum regium notam discriminationis habemus, quia attaminantur puellae pallore potius decolorante quam flavedine; et si corporis superficies flavedine foedata fit, oculi adnata tali colore haud imbuitur: Et tinctura ejus quam Icteri ejusdem durationis minus est colorata. Virgines plerumque adoriuntur chlorosis ad temporis punctum, quo menses fluere incipiunt; adestque rei non esculentae desiderium, nunquam verò in Ictero; nec in chlorosi, unquam, faeces albiae, et urina obscurè rubra luteo colore immissa tingens, adsint.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

UNIVERSE a medicis conceditur, quod Icteri causa fit proxima bilis per sanguinem diffusa, cutem colore tingens, aliaque hujus morbi signa suppeditans. Sed quomodo bilis tantâ copiâ in sanguinem deducatur, disputatum est. Supra memoravimus ideam olim acceptam, nempe bilem in sanguinis massa prius extitisse, atque solum ab hepate separatam esse; itaque hujusce interruptionem separationis nimiam producentem in sanguine copiam, morbum praebere. Sed ad hanc refellendam opinionem satis antea diximus.

His verò temporibus quorundam medicorum altera mentem occupat opinio; scilicet, bilem progressu ad intestina obstructam in ductus hepaticos regurgitare, et in ramulos venae cavae hepaticae transire, et hoc modo in sanguinis massam diffundi. Nonnulli verò et jure opinantur,

nantur, bilem ductibus retentam, lymphaticis abforberi, ad ductum thoracicum vehi, et hac ratione ad systema sanguiferum duci. Ad priorem harum opinionem ductus fuit celeberrimus HALLER, ex eo, quod, impulit cereae injectiones usque ad venam portarum, atque etiam ad venam cavam, a ductu hepatico. At professor noster MONRO hoc saepe perfecit experimentum, comperitque injectiones a ductu hepatico cereas in venam cavam, non sine ingenti vi impelli posse. Porro semper invenit, ceram massae formam concretae induisse, quod manifestè monstrat hepatis partium potius lacerationem, quam anastomofin ab HALLERO descriptam, ductum hepatis inter et venam cavam adfuisse.

Experimentum quoque ab eodem accuratissimo MONRO ad hanc opinionem refellendam maxime valet.

Ductum canis choledochum per ligaturam constrict, eo usque, ut bili valde distentus esset; tunc violenter compressit, bilem in venam cavam impellere; et quanquam magna vi usus est, tamen

tamen ne minima guttula tranfire quiret. Aliud vero documentum est nobis ab illo claro anatomico factum, quod mihi videtur conclusum, et rem extra aleam dubitationis ponere. Ductum communem choledochum canis ligavit, eodem tempore vasa vidit hepatis lymphatica pellucida, Icterumque induxit, oculis animalis flavescentibus. Aliquot post dies ductum thoracicum patefecit, et abdomen ejus vivi aperuit, et tam lymphaticis quam thoracico ductu, gustu et colore distinctè fel indagare potuit. Unde liquidò apparet bilem sanguinem intrare ope lymphaticae absorptionis; et meditati patebit, hac solâ viâ Icterus evenire potest a nimia bilis secretione.

RATIO SYMPTOMATUM.

FLAVEDO ista quâ tota corporis superficies contaminatur, a bile cum sanguinis sero commista, et vasa extrema minutissimaque intrante pendet. Haec verò flavedo ex candore mirabili

bili et pelluciditate tunicae adnatae primum in oculo cernenda. Eadem ori amaritudinem, urinaeque colorem, communicat. Fel enim glandulas cum sanguine intrat, immutatumque transit, gustum et colorem fervans proprium.

Si unquam objecta oculos Ictero laborantium specie flavedinis deceperint, id quoque eidem, bili nimirum oculorum humoribus commista, attribuendum foret; lucis enim radii per substantiam coloratam transeuntes, coloris ejusdem participes fiunt. Talis autem fortasse visus depravatio reverè adesse posset, si auriginem subito ac momento quasi ad acmen suum pervenire videremus, sed vix ac ne vix quidem, ut morbi symptomata gradatim plerumque invadere solent, ubi oculus coloris mutationi assuetus, rem ut se habet, haud percipit. Eadem res evenire solet, cum per vitra ocularia colorata objecta contemplamur, primò objecta coloris ejusmodi participant; sed cum omnia aequè coloris relationem servant, et oculus vitris assuetus est, extraneus color ex integro fere evanescit.

Languor, lassitudo, et pruritus ex irritatione singulari bilis, niti apparent. Dolor in jecino-
ris regione ab irritamento concretionum, bilisve
distentione, originem ducit;—qui dolor etiam,
diaphragmatis descensu auctus, respirationem
plenam impedire creditur; et hinc oritur con-
gestio sanguinis in pulmone, quae non modò spi-
ritum difficiliorem, sed etiam in praecordiis sen-
sum oppressionis inducere potest. Nausea et
vomitus aliquo inexplicabili concentu ventri-
culum inter et partes laborantes pendere fer-
tur; ergo quanto plus faevit dolor, tanto ma-
gis molestus plerumque est vomitus. Alvus a-
stricta ex felle intestinis negato pendet, bili e-
nim alimentarius suo stimulo canalis caret so-
lito. Eandem propter causam faeces albae
tenacioresque dejiciuntur. Si diarrhoea ali-
quando morbi regii fit comes, pendere videtur,
vel e faecibus diutius in alvo morantibus, et ibi
naturam acrem adeptis, vel bilis nimio subitove
descensu in duodenum.

PROGNOSIS

P R O G N O S I S.

CAUSAS tam varias agnoscit Icterus, ut pro diversitate causarum, diversam prognosin habeamus; et quamvis plerumque secundam, semper tamen incertam. Facilius enim sanatur in juvenibus, robustisque corporibus, quam in senibus, infirmis, et cachexia laborantibus; itaque prognosis ex causis, aetate, et viribus aegri, cognitis, deducenda est.

Icterus gravidarum foetu edito finitur. Icterus in infantibus recens natis facilè discutitur. Morbi arquati a bile viscida orti eventus est secundus. Si ortus sit ex spasmò,—pathemate mentis,—extraneis duodeno infartis,—emetiis vel catharticiis drasticiis, tunc morbi solutio speranda est fausta. Quando vero ex hepatis schirro, vicinarumque partium, vel ex ductuum crassitudine et cavitate oblitterata (haec autem in causa suspicari possunt,

sunt,

sunt, quum dolor hypochondrium diu dextrum, priusquam morbus erat conspicuus, occupasset, vel symptomata sine intermissione in pejus ruant), tum timendum est, aegrotum brevi ad umbras erraturum esse; et mors adhuc certior est, si dirus supervenerit hydrops. Icterus ex concretionibus felleis (quae pro causa haberi possunt, morbo paroxysmis subeunte, nunc discedente, nunc revertente) praesertim si aeger sit juvenis, saepe feliciter terminatur. At si in hominibus, qui viribus ceciderunt, et aetate sunt proVectiores, sine intermissione saeviat, plerumque est lethalis. Ex hydatidibus benigna solutio sit speranda, i. e. expulsionem, ac in calculoso, sperare possumus, et fortasse majori cum aequitate. Dignum est notatu, quòd diarrhoea biliosa occurrens symptoma est felix, obstruentis amotum denotans.

RATIO MEDENDI.

INDICATIONES sunt,

1mo, Symptomata maxime urgentia mitigare.

2do, Fluxum bilis in intestina restituere, (obstipantia removendo.)

In morbi historia monstravimus pyrexiam Icterum aliquando comitari, urgente ingenti dolore. Quando haec violenta igitur sunt, ad subjuganda maxime valet sanguinis detractio.—Regimen antiphlogisticum observandum.—Administrari quoque debent sedantia, sicut acida; et antispasmodica, sicut laxantia, clysmata emollientia, fomenta, balneum tepidum, &c. atque ubi perviolentus est dolor, epispastica.

Opium, amotâ simul diathesi phlogisticâ, dosibus liberis devoretur, tum dolorem levandi intentione, tum spasmus solvendi.

Hujusmodi remediis, pruritus aequè ac dolor, nonnunquam etiam vomitus et nausea, levantur.

His

His verò pertiniacioribus, plus valet haustus salinus effervescens.

Solvitur facile alvus astricta, purgantibus mitibus; et ad hoc propositum nonnulli fel bovinum inspissatum praescribere solent, intestinis bile propria carentibus.

Si supervenerit diarrhoea, alvus non temerè est sistenda, sed diluentia ac demulcentia potius quam astringentia adhibenda, nisi alvi fluxus debilitatem minitet.

Indicatio secunda absolvitur, causas remotas amovendo, et cum diversae sint causae, sic diversis remediis uti oportebit. Medicamenta quam plurima Ictero *calculoso*, laborantibus prodesse existimabantur, ex eo, quòd haec morbi species vel paucis diebus discedere, vel manere per menses, aut annos, et tunc fortasse, suâ sponte evanescere, possit; indeque multa et absurda remedia laudata fuerunt, quae hìc enumerare omnino supervacaneum foret, et docet experientia ea maximâ ex parte esse inutilia. Quae verò nunc dierum sunt commendata.

et inter optima laudata fuerunt, memorabimus. Medici duplici in hoc morbo ratione remedia praescribunt, causâ, nimirum *chymicè*, calculos solvendi, vel *mechanicè*, ex ductibus eliciendi.

Multa quasi solventia laudantur; talia sunt alkalina:—Sapo * plurimum valere aestimabatur. Aqua calcis,—aër fixus,—mistura aetheris vitriolici et spiritus terebinthinae †, &c. &c. Sed medicorum votis haec minimè responderunt, et edocuit usus, omnia sine effectu inveniri; neque etiam extra corpus ‡ calculos solvere queant ex his pleraque. Victus ex herbis laudatus est, ex eo, ut scribit Van SWIETEN, “ Quod hyemali tempore in bobus natae incrustationes calculosae vasorum solvantur denuò, dum verno tempore recens gramen pascuntur armenta.”

Medicamenta plerumque praescripta, causâ calculos mechanicè ductibus expellendi,
sunt,

* Boerhaave. † Durande. ‡ Heberden.

sunt, emetica et cathartica; et his praecipue fidendum est. Quomodo emetica Icterum aliquando inducunt, supra monstravi, pari igitur ratione in Ictero calculoso feliciter adhibentur; calculos enim in ductibus haerentes, aut alia quae bilis cursui obstant, deorsum cogunt, protrudunt, ductusque emulgent, et ita medellae conferunt:

Quando vero adsunt diathesis phlogistica et dolor ingens hypochondrii, emetica vitanda, et praesertim draastica. Ne inflammationem accipitem, vel partium etiam laesionem efficiant. Hisce vero amotis, emetica mitiora, sicut, ipecacuanha, quae semper draasticis sunt anteposenda, administrari debemus, quae certò ac tutò vomitum cient.

Cathartica eodem fere modo ac emetica, ut antea dictum fuit, calculi descensum promonent; atque fortasse plus pollent bilem elicendo. Eorum usui celeberrimus CULLEN objicit, affirmatque iis nunquam uti oportere, nisi alvus sit astricta; attamen purgantia acria maximè
efficacia

efficacia reperiuntur, atque meritò saepe adhibentur. Occurrit notandum, quod experientia stabilitum ac theoriae consentaneum est, opium ante emeticum aut catharticum praemittere, saepe optimos edere fructus compertum fuit. Animadvertendum est quoque quod exercitatio, diaetaque idonea curationi haud parum sese accommodant.

Icterus spasmodicus, solvitur antispasmodicis internè et externè adhibitis. Inter remedia interna princeps est opium, inter externa epispastica, fomenta. Quando aliorum morborum spasticorum fit symptoma, respicere debemus ad priorem morbum, quo sanato, hic evanescit.

| In *Ictero hepatico* plerumque nil prodest. Remedia tamen deobstruentia aliquando dantur, inter quae cicuta, crysalli tartari, et potissimum hydrargyrus, laudantur.

Icterus

Icterus gravidarum, nil postulat nisi partum, aut aliquando fortasse laxantia lenia, ad evacuationem faecum promovendam.

Icterus infantum.—Si lac maternum non sufficiat hunc amovere, nil nisi mite laxans semel vel bis adhibitum, sicut magnesia, syrampus cum rhabarbaro, manna, requiritur. Iisdem remediis utimur, si bilis viscida in ductibus haereat, vel aliquot in casibus grana forsan pauca ipecacuanhae postulentur.

Ictero ex nimia bilis secretionem, opus est nullis medicamentis, nisi fortasse, diluentibus ac demulcentibus. Haec vero species Icteri rarissimè occurrit.

FINIS.

